

bretur, ubi private portetur corpus Cardinalis defuncti et ibi indutum pontificalibus indumentis juxta solitum collocetur super lectum praealtum. Et in eadem ecclesia conveniant Cardinales et ad vigiliis praedictas more solito assistant.

Quibus finitis, si corpus non erit ibi sepeliendum seu depositandum vel nisi aliter defunctus testaverit, deducatur inde ad aliam ecclesiam, ubi sepeliendum erit cum pompa solita associatum a familia SSmi prout hactenus factum fuit.

Quod Cardinales Priores ordinum, si defunctus decedat sine testamento vel sine haeredibus, curent omnia praedicta exequi facere prout melius et decentius eis videbitur.

(Anal. J. P. 1863 p. 26. n. 97.)

De curando Cardinalis Cadavere in ejus domo.

Cum Cardinalis spiritum creatori reddiderit, ministri, deposito ex lecto post morulam cadavere, illud calida aqua lavent, barbam radant, mundetur et ita curent opportunis remediis, ut corpus sine foetore usque ad praestitutum tempus reservari possit. Significant executoribus horam transitus, ut illi de hora funeris deliberare valeant; quam deinde per cursores aliis Cardinalibus, Praelatis et Curialibus atque etiam Collegiis et Conventibus Clericorum ac Religiosorum, quos funeri interesse voluerint, intimabunt.

Sed nota, quod ante Sixti IV. tempora Cardinales non consueverunt ire ad domum Cardinalis defuncti, nisi executores tantum, mittebant autem familias suas; post ea vero tempora fere omnes intersunt, quando Vigiliae dicuntur, non tamen sequuntur funus. Quid magis deceat, alii viderint. Ministri Cardinalis defuncti, ut corpus mundaverint, illud vestiant omnibus

quotidianis indumentis usque ad Rochetum inclusive; deinde ornent eum sacris vestibus, ac si missam esset celebraturus. Si est Presbyter aut Episcopus Cardinalis, imponant Sandalia, Amictum, Albam, Cingulum, Stolum, Manipulum, Tunicellam, Dalmaticam, Chirothecas, Planetam, Mitram simplicem et Anulos. Si vero esset Diaconus, super Stolum transversam, Dalmaticam tantum imponebant et Mitram simplicem in capite, ea scilicet ornamenta, quibus uterentur, si Evangelium esset dicturus; et ita indutum deponant in terra super aliquem pannum sive tapetum cum cereis ardentibus a capite et a pedibus. Ponent super ejus pectus crucem aliquam, quam manibus teneat. Interea tota domus nudetur ornamentis omnibus. In majori Aula domus quasi in medio paretur lectica ex tabulis, quae a terra distet circa sex palmis, latitudine decem, longitudine duodecim palmorum aut circa; et super eam ponatur lectus ex lana sive pluma cum cervicali longo et magno panno aliquo cooperiatur lectus et lectica circa a lateribus. Hinc inde parentur scamna cum foraminibus, ut ibi ponantur sexdecim aut viginti intorticia. Ad pedes lecti erit mensula cum mappa munda et super eam duo candelabra cum luminaribus, Superpelliceum unum, una Stola cum Pluviali nigri coloris; item vas cum aqua benedicta et aspersorium et thuribulum cum navicella incensi et libellus pro dicendis orationibus. Circumcirca per totam Aulam ponantur sedilia pro Cardinalibus, Praelatis et aliis Curialibus, qui veniunt ad honorandum defunctum. Familiares in istis Vigiliis et in deducendo funere non intersunt adhuc induti veste lugubri; habebunt tamen singuli nigrum biretum expensis defuncti. Cum aderit hora praestituta, corpus defuncti ita ornatum,

ut diximus, ponetur super lectum in Aula et accedentur intorticia. Cardinales, Praelati et alii, qui venerunt, sedebunt circumcirca. Religiosi per singula Collegia sive per singulos Conventus incipient Vigiliis et primi dicent Invitorium cum primo Nocturno et post Responsorium tertiae lectionis dignior ex eis indutus Superpelliceo, Stola et Pluviali, stans apud mensam ad pedes lecti dicit: *Pater noster*, asperget et incensabit per circumculum; et deinde sequitur: *Et ne nos inducas*, cum Versiculis et Orationibus consuetis. Cum incipient cantare, distribuentur cantantibus aliquae candelae; cum primi finierint, aliqui sequentur secundum et deinde tertium Nocturnum et deinde Laudes et digniores, qui aderunt, incipient. Et si essent plura Collegia sive plures Conventus, poterunt duo simul cantare unum Nocturnum. Paretur interim feretrum ad portandum corpus et quinquaginta aut sexaginta intorticia, quae ante corpus per stabularios deferantur.

De Cadaveris delatione ad Ecclesiam et quae in ipsa praeparanda.

Finitis Vigiliis ponitur corpus super feretrum et religiosi suo ordine praecedunt, deinde luminaria, postea corpus, quod per religiosos defertur, postremo sequuntur Praelati et Curiales, et cum pervenerint ad Ecclesiam, ubi sepelitur finito officio, omnes descendunt, quisque ad suam habitationem. Haec funeris deductio saepe intermittitur propter varias causas et tunc factis Vigiliis in domo defuncti, descendunt omnes et in nocte portatur corpus ad Ecclesiam per familiam cum aliquibus religiosis. Post haec executores statuunt diem, in quo exequiae inchoentur et interim distribuunt pannum nigrum familiae, Praelatis quinque cannas, Capellanis quatuor, seu

tiferis tres, stabulariis duas cum dimidia. Ordinant, ut fiat pallium aureum pro lecto sub campana, sive castro doloris, quod fiet ipsum castrum doloris cum lectica, scamnis pro intorticiis et banchis, in quibus sedeat familia. Item pingantur arma suspendanturque circa Ecclesiam, altare et castrum doloris. Fiat cera ad sufficientiam. Consueverunt esse ad sex vel octo millia librarum cerae. Suspenduntur intorticia circumcirca in Ecclesia unius lanceae spatio inter se distantia. A lateribus lecti hinc inde super scamnis ponantur duodecim aut sexdecim intorticia in quolibet latere. Praeficiantur aliqui, qui teneant computum cerae et qui illam subministrent distributoribus. Alii, qui curent, ut missae vere et suo ordine legantur et dent eleemosynam celebrantibus. Ordinant, qui Cardinalis primam et qui ultimam missam sit celebraturus, qui Praelati intra Novenam celebrent; et aliae missae legantur; quod Cantores cum Capella, cum paramentis et libris opportunis ex Palatio Apostolico adsint; quod ibidem sint quinque Pluvialia nigra cum suis stolis; quod committatur quatuor Cardinalibus, ut cum Celebrante in fine missae apud Castrum doloris absolvant, ut inferius dicemus, quod parentur quatuor scabellae apud primas et postremas columnas castrum et alia necessaria.

De exequiis celebrandis Cardinali defuncto ac primum de missa et Oratione funebri.

Omnibus opportune dispositis vesperi ante statutam diem per cursores faciunt intimari Cardinalibus, Praelatis, oratoribus et officialibus Curiae, quod in tali loco cras incipientur exequiae bonae memoriae Reverendissimi Domini Cardinalis et Reverendissimus Dominus A. celebrabit et Dominus vel

Magister B. faciet orationem. Mane deinde hora competenti Reverendissimi Domini Cardinales conveniunt ad Ecclesiam, sedebunt prope altare majus in sedilibus pro eis praeparatis, nudis tamen et sine aliquo panno. Praelati et alii Curiales sedebunt in locis suis. Familiars defuncti Cardinalis summo mane omnes nigris vestimentis induti simul bini et bini e domo defuncti venient ad Ecclesiam. Duo cursores eos praecedent et sedebunt in banchis circa castrum doloris pro eis locatis. Supra lectum, qui erit sub castro doloris, erit pannus aureus cum insignibus defuncti et duo cervicalia nigra. Ad caput lecti et ad pedes duo Pilei rubri ipsius defuncti. Hinc inde astabunt duo parafrenarii mortui Cardinalis, qui cum duobus flabellis factis cum insignibus Cardinalis ex serico nigro videantur abigere muscas, etiamsi sit tempus hyemale, qui sedulo flabella placide movent. Omnibus paratis incipitur missa pro defunctis et cum fuerit dicta prima Collecta, Clerici Caeremoniarum incipiunt distribuere ceram Dominis Cardinalibus primum, tum Oratoribus et Praelatis, inde Familiae defuncti, deinde officialibus Curiae, demum ceteris praesentibus, tam mulieribus quam viris. Quae profecto dispensatio cerae sive potius dissipatio est valde importuna et tumultuosa et meo iudicio satis inconveniens; nam ob strepitum et clamorem petentium et rapientium candelas, divinum officium et funebris oratio admodum conturbatur. Antequam incipiatur Evangelium, accenduntur dictae candelae et per ministros tenentur accensae usque ad finem missae. Finita missa post *Requiescant in pace*, fit Sermo in laudem defuncti; et Cardinalis, qui celebravit, dimissa planeta, accipit Pluviale et sedet cum mitra alba, dum fit Sermo.

De ritu et officio Absolutionis circa Castrum doloris.

Illo finito iterum accenduntur candelae et quatuor alii Cardinales, si mortuus erat Episcopus Cardinalis, Episcopi Cardinales, si tot numero fuerint praesentes, et si deficiat numerus, Presbyteri supplent. Si vero mortuus erat Presbyter sive Diaconus, quatuor Presbyteri Cardinales capiunt Superpelliceum, Amictum, Stolum, Pluviale nigrum et mitram albam in capite et simul cum celebrante vadunt ad castrum doloris hoc ordine. Primo procedunt duo ex Capellanis celebrantibus cum Superpelliceis, unus defert thuribulum et navicellam, alius vas aquae benedictae cum aspersorio; deinde duo alii cum candelabris et luminaribus. Inde Subdiaconus paratus cum cruce. Deinde duo Cardinales juniores parati, tum duo seniores parati, ultimo Cardinalis, qui celebravit et post eum Diaconus paratus et alii sui Capellani cum Superpelliceis. Unusquisque Cardinalis habet secum unum Capellanum cum Superpelliceo, qui servit ei de mitra, et aliquos Scutiferos, qui ei assistunt, quorum unus defert cereum accensum. Cum pervenerint ad castrum doloris, Subdiaconus cum cruce et ceroferais ponit se ad pedes lecti in medio extra Castrum tamen. Post eum sunt Cantores. Ad caput lecti ponitur in medio contra crucem Faldistorium celebrantis, super quod ille sedet, et apud eum stat Diaconus Evangelii, qui defert incensum et aquam benedictam, et alii Capellani; senior Cardinalis ponit se juxta columnam ad humerum dextrum, secundus in dignitate juxta columnam ad pedem sinistrum, tertius Cardinalis ad humerum sinistrum, ultimus ad pedem dextrum et ibi aliquantulum quiescunt. Caput lecti figuratur proximior pars altari, et pedes pars propinquior portae Ecclesiae. Post

morulam surgunt omnes deposita mitra et tenente librum uno ex Capellanis celebrans cum Diacono incipit Absolutionem:

„Non intres in iudicium cum servo tuo Domine, quia nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio: non eum ergo quaesumus Domine tua iudicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei christianae commendat; sed gratia tua illi succurrente mereatur iudicium evadere ultionis aeternae, qui dum viveret, insignitus est signaculo s. Trinitatis. Per Christum Dominum nostrum, Amen.“

Finita Oratione, Cardinales omnes sedent cum mitra et cantores cantant primum Responsorium: *Subvenite* etc. Antequam finiatur Responsorium, Diaconus cum deferentibus incensum et aquam benedictam accedit ad seniore Cardinalem ad humerum dextrum sedentem; et cum cantatur: *Requiem aeternam*, Clericus Caeremoniarum accipit thuribulum et navicellam et accedit ad ipsum seniore Cardinalem et offert thuribulum, Diacono vero navicellam. Cardinalis imponit incensum in thuribulum dicens: Ab illo benedicaris etc. Deinde cum Cantores cantant: *Kyrie eleison*, surgunt omnes sine mitra et ipse primus Cardinalis dicit voce competenti: *Pater noster* et mox capit aspersorium de manu Diaconi et circuit lectum, aspergens illum aqua benedicta. Diaconus interim elevat a manu dextra fimbriam Pluvialis. Cum vero Cardinalis transit ante alios Cardinales ibi astantes, facit unicuique reverentiam inclinando caput et idem etiam facit cruci; Diaconus vero, qui simul pergit, genuflectit. Facto circuitu, reddit aspersorium Diacono et de ejus manu capit thuribulum et simili modo incensat circumcirca, inclinando se Cardinalibus et cruci. Ut autem complevit gyrum,

reddit thuribulum Diacono et revertitur ad locum suum. Diaconus quando dat aliquid Cardinali vel recipit ab eo, osculatur ejus manum. Cardinalis stans in loco suo, voce competenti, tenente librum ante ipsum Diacono, dicit: *Et ne nos inducas* etc. R.: *Sed libera* etc. V.: *A porta inferi*. R.: *Erue Domine animam ejus*. V.: *Requiescat in pace*. R.: *Amen*. V.: *Domine exaudi orationem meam*. R.: *Et clamor meus ad te veniat*. V.: *Dominus vobiscum*. R.: *Et cum spiritu tuo*.

Oremus.

„Deus, cui omnia vivunt et cui non pereunt moriendo corpora nostra sed mutantur in melius: te supplices deprecamur, ut suscipi jubeas animam famuli tui N. per manus sanctorum Angelorum deducendam in sinum Amici tui Abrahae Patriarchae, resuscitandam in novissimo iudicii magni die; et quicquid vitiorum fallente diabolo contraxit, tu pius et misericors abluas indulgendo. Per Christum Dominum nostrum. R.: Amen.“

Finita Oratione Cardinales sedent et chorus cantat Responsorium: *Qui Lazarum resuscitasti a monumento foetidum, tu ei Domine dona requiem et locum indulgentiae*. V.: *Qui venturus es judicare vivos et mortuos et seculum per ignem. Tu ei Domine* etc. *Requiem aeternam* etc. *Kyrie eleison*. Diaconus interim cum portantibus incensum et aquam benedictam accedit ad secundum Cardinalem apud sinistrum pedem; et cum dicitur: *Requiem*, imponitur incensum. Ad *Kyrie eleison* surgunt omnes; et deinde ipse secundus Cardinalis dicit: *Pater noster*, aspergit et incensat, ut primus et reversus ad locum suum dicit: *Et ne nos* etc. R.: *Sed libera* etc. V.: *A porta inferi*. R.: *Erue Domine animam ejus*. V.: *Requiescat in pace*. R.: *Amen*. V.: *Domine exaudi ora-*

tionem meam. R.: *Et clamor meus ad te veniat.* V.: *Dominus vobiscum.* R.: *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Fac quaesumus Domine hanc cum famulo tuo misericordiam, ut factorum suorum in poenis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem; ut sicut hic eum vera Fides junxit Fidelium turmis, ita eum illic associet angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum. R.: Amen.

Finita Oratione sedent Cardinales cum mitra et chorus cantat Responsorium: *Domine quando veneris judicare terram, ubi me abscondam a vultu irae tuae? Quia peccavi nimis in vita mea.* V.: *Commissa mea pavesco et ante te erubesco, dum veneris judicare, noli me condemnare. Quia peccavi etc.* Kyrie eleison. Interim Diaconus cum sociis accedit ad tertium Cardinalem apud sinistrum humerum sedentem et in tempore ponitur incensum et ad Kyrie eleison omnes surgunt ut supra et ipse tertius Cardinalis dicit: *Pater noster*, aspergit et incensat ut alii et reversus ad locum suum dicit: *Et ne nos inducas etc.* R.: *Sed libera etc.* V.: *A porta inferi.* R.: *Erue Domine animam ejus.* V.: *Requiescat in pace.* R.: *Amen.* V.: *Domine exaudi etc.* R.: *Et clamor etc.* V.: *Dominus vobiscum.* R.: *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

„Inclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tum supplices deprecamur, ut animam famuli tui N., quam de hoc seculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas et Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Christum Dominum nostrum. Amen.“

Oratione completa sedent Cardinales.

Chorus cantat Responsorium: *Ne recorderis Domine peccata mea, dum veneris judicare seculum per ignem.* V.: *Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam.* Dum veneris etc. *Requiem etc.* Dum veneris etc. *Kyrie eleison. Christe. Kyrie.* Interim Diaconus cum sociis accedit ad ultimum Cardinalem apud dextrum pedem et in tempore imponitur incensum. Surgunt ad Kyrie eleison; et ipse Cardinalis quartus dicit: *Et ne nos etc.* R.: *Sed libera etc.* V.: *A porta inferi.* R.: *Erue Domine animam ejus.* V.: *Requiescat in pace.* R.: *Amen.* V.: *Dominus vobiscum.* R.: *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

„Absolve quaesumus Domine animam famuli tui N. ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum.“ His finitis sedent et chorus cantat: *Libera me Domine de morte aeterna in die illa tremenda, quando Coeli movendi sunt et terra: dum veneris judicare seculum per ignem.* V.: *Tremens factus sum ego et timeo, dum discussio venerit atque ventura ira. Quando coeli etc.* V.: *Dies illa dies irae, calamitatis et miseriae, dies magna et amara valde.* Dum veneris etc. *Requiem aeternam etc.* *Libera etc.* *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.* Interim Diaconus cum sociis accedit ad Cardinalem, qui celebravit, sedentem ad caput et in tempore imponitur incensum. Ad Kyrie eleison surgunt Cardinales sine mitra et qui celebravit dicit: *Pater noster*, aspergit et incensat, ut fecerunt alii quatuor et reversus ad locum suum stans dicit: *Et ne nos etc.* R.: *Sed libera etc.* V.: *A porta inferi.* R.: *Erue Domine animam ejus.* V.: *Requiescat in pace.* R.: *Amen.*

V.: *Dom. exaudi, etc.* R.: *Et Clamor etc. Dominus vobiscum.* R.: *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

„Absolve quaesumus Domine animam famuli tui N. ut defunctus seculo tibi vivat et quae per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tu venia misericordissimae pietatis tuae absterge. Per Christum Dominum nostrum. R.: Amen.“

Deinde dicit idem Cardinalis: *Requiem aeternam dona ei Domine. R.: Et lux perpetua luceat ei.* Et in fine duo Cantores dicunt: *Requiescat in pace. R.: Amen.* His completis omnes ordine, quo venerant, revertantur ad loca, ubi acceperunt paramenta et exuant sacras vestes. Alii autem Cardinales et Praelati, dum haec fiunt circa Castrum doloris, remanent sedentes in locis suis, expectantes finem. Demum omnes discedunt ad suas habitationes.

De Novendialibus Cardinali defuncto celebrandis et quibus ritibus.

In prima et nona die, quae est ultima, in quibus fiunt eadem caeremoniae, nisi quod in ultima non fit sermo, consueverunt legi in Ecclesia, ubi fiunt exequiae, centum quinquaginta missae et datur pro eleemosyna cuique celebranti unus grossus Papalis et duae parvae candelae. Aliis septem diebus intra novenam dicuntur centum missae quolibet die et hora competenti cantatur missa pro defunctis per aliquem Episcopum et familia defuncti adest sedens in loco suo. Intorticia non accenduntur circa Ecclesiam, sed super scamnis a lateribus lecti et novem supra Castrum doloris sine aliis candelis. Cardinales non veniunt; distribuitur cera Celebranti et Ministris, Clericis, sive religiosis illius Ecclesiae, familiae defuncti et aliis, qui adsunt. Apud sepulchrum vero, ubi jacet corpus, quotidie ponun-

tur duo intorticia, quae ardent, dum Divina celebrantur. Finita missa inter Novenam Praelatus, qui celebrabit, deponit planetam et accipit pluviale et mitram et praecedente Subdiacono cum cruce, ceroferariis, incenso et aqua benedicta, vadit ad Castrum doloris. Eum sequuntur Diaconus et alii ministri altaris; religiosi autem sive Clerici Ecclesiae disponunt se circa Castrum, Subdiaconus cum cruce et ceroferariis ad pedes. Praelatus vero stans ad caput in medio sine mitra absolute incipit: *Non intres in iudicium*, ut supra; et in fine chorus cantat primum Responsorium; et post Kyrie eleison, Praelatus sine mitra dicit: *Pater noster*, aspergit et incensat per circuitum, ut supra diximus de Cardinalibus et deinde stans in loco suo dicit: *Et ne nos inducas etc.* cum aliis versiculis et prima oratione, in fine cujus dicit: *Requiem aeternam dona ei Domine. R.: Et lux perpetua luceat ei.* Et chorus dicit: *Requiescat in pace.* Et sic revertitur ad exuendum. In secunda die dicitur secundum Responsorium et secunda oratio et sic deinceps et cum finierint, reincipitur a primo. In nona die fit omnino, ut in prima, nisi quod non fit Sermo. Cantatur missa per Cardinalem et per Cardinales fit absolutio apud Castrum doloris. A die vero, quo sepultum est corpus, usquequo incipiantur exequiae, consueverunt in ea Ecclesia celebrari aliquot missae pro defunctis, non tamen per Praelatos, et fiunt ad partem ibi aliquot eleemosynae propter hoc.

Catalanus, Caerem. Eccles. rom. t. I. p. 388 — 398.

Cardinales decedentes in Urbe, si non habeant sepulchrum majorum nec sibi elegerint sepulturam, sepeliendi sunt non in Parochia sed in Ecclesia proprii tituli; sic articulo

late discussio firmavit Rota in romana Juris tumulandi 20. Febr. 1702 coram Priolo in causa sepulturae Eminētissimi Cardinalis *Pallavicini*, quae decisio refertur a *Monac.* tom. 4. in Appendic. decis. 18. et a *Pitonio* discept. ecclesiastic. tom. 2. post discept. 51. eamque citant et sequuntur ultra praedictos etiam *Card. Petra* loc. cit. Comment. ad Constit. 2. Honorii III. n. 32., *Matthaeucc.* official. Curiae quoad sepulturas cap. 48. n. 9., ubi citat etiam aliam decisionem de quinta die Mart. 1703 refertque tali anno ratione dictarum decisionum cadaver Cardinalis *Radolovich* titularis s. *Bartholomaei* in Insula, qui suum corpus reliquit esse tradendum sepulturae in Ecclesia prout de Jure, redditum fuisse Ecclesiae titulari et in ejus solo tumulatum, cum prius pendente lite inter Parochiam et titulum, fuerit interim depositum in sua Parochia s. *Marcelli*.

Et hoc etiamsi Cardinales non resideant in titulo, cum non omnes Ecclesiae Cardinalium Titulares habeant contiguas habitationes. Rota cit. in romana Juris tumulandi 20. Febr. 1702 n. 28. et 31., *Card. Petra* loc. cit. n. 32. et alii.

Et hoc procedit etiam in Cardinalibus regularibus. Non enim ipsi in tali casu sepeliendi sunt in Ecclesia regulari, si specialiter eam non elegerit, quia magis stringit vinculum speciale proprii tituli Cardinalitii, quam generale religionis; tum quia, dum regulares assumuntur ad Cardinalatum, eximuntur ab obedientia religionis, adeoque sicuti remanent soluti a lege vetante electionem sepulturae, ita praesumptio oritur, ut electio debet esse in eo loco, in quo uti Cardinales et non uti regulares sepeliri debuerant, etiamsi alibi Cardinales Sacramenta recipiant, ut prosequitur citata *Rotae* decisio n. 34. et 35., *Card. Petra*

loc. cit. n. 33. Et alii Cardinales autem decedentes extra Urbem sine electione sepulturae sepeliri debent in Ecclesia majori loci, ubi decedunt, quia, ut dicit Rota in cit. dec. n. 16. ratione Dignitatis illa Ecclesia censetur Parochialis Cardinalis defuncti, sicuti censeretur in casu simili obitus Summi Pontificis: Sic *Card. Petra* n. 34., *Murga* de sepulturis tract. 8. sect. 2. dub. 7. conclus. 4., *Matthaeucc.* loc. cit. n. 9. et alii passim. Hoc tamen intelligendum venit, nisi in vita se subjecerint specialiter alicui Parochiae, ut notant *Card. Petra* loc. cit. n. 34., *Matthaeucc.* loc. cit. n. 9. et alii, arg. cap.: *Instituta* 1. cap.: *Ex parte* 5., cap.: *In nostra* 10. de sepultur., cap.: *Animarum* 1. et cap.: *Is qui* 3. eod. in 6.

Debetur tamen semper quarta canonica Ecclesiae parochiali ratione administrationis Sacramentorum, prout debetur, si quis decedat sine electione sepulturae et sepeliatur in sepulchro majorum vel in Cathedrali. Sic Rota in cit. decis. n. 34., *Card. Petra* loc. cit. n. 35., *Matthaeucc.* loc. cit. n. 3., *Antonell.* de regim. Eccles. lib. 1. cap.: 12. n. 30., *Pitonius* in addit. ad dictam disceptat. 51. in fine. Et alii.

8) Clericorum.

Vd.: *Sacerdos defunct.*; *Sepult. Sacerd. defuncti.*

Clerici et Presbyteri decedentes, non electa sepultura, sepeliendi sunt in Cathedrali, si ibi adsit sepultura propria separata pro Presbyteris et Clericis, etiam non attento sepulchro majorum. S. Congr. Episcop. in Foro-sempronien. 1. Septembris 1690, *Monacell.* tom. 1. tit. 2. formul. 4. n. 17., *Samuel.* de sepultur. discp. 5. tract. 1. contr. 9. conclus. 20. n. 30., *Nicol.* lucubrat. Canonici lib. 4. tit. 15. de

sepultur. n. 15., *Matthaeucc.* l. cit. n. 11. vers.: Canonici; *Passerin.* n. 325. cum seq. et alii. Si vero non adsit in Cathedrali sepultura propria separata pro Presbyteris, et Clerici et Presbyteri decedentes sine electione sepulturae sepeliendi sunt in sepulchro majorum, si habeant, et si non habeant, in propria Parochia: *Communis*; arg. cap.: *Nos instituta* 1., cap.: *Ex parte* 5., cap.: *In nostra* 10. de sepulturis, cap.: *Animarum* 1., cap.: *Is qui* 3 et cap.: *Licet* 4. eod. in 6. Et ratio est, quia Jura nihil speciale de eis statuunt, adeoque est discurrendum de eorum sepultura ac de sepultura catholicorum saecularium, cum, ubi Jus non distinguit, neque nos distinguere debemus; l. de pretio 8. ff. de Publiciana in rem action.; et verba generaliter sint intelligenda, c. quia circa 22. de privil. Unde cum quaesitum fuisset a S. Congr. Conc. in una Fulgenat. die 10. Julii 1694:

An liceret Capitulo Cathedralis private quoad omnes alias Ecclesias, tumulare cadavera personarum in sacris vel in minoribus ordinibus constitutarum, etiam prima tonsura initiatorum, decedentium absque electione sepulturae? Sacra Congr. noluit decidere sed remisit causam ad Judices suos. Cum enim ageretur de consuetudine probanda, ideo forte noluit assumere cognitionem, ut dicit *Card. Petra* n. 40. subdens ibid. n. 41.: bonum Jus favere Parochis, si non probetur legitima consuetudo; nam ipsi habent assistentiam Juris in tumulatione istorum carentium Sepulchro majorum decedentium sine electione inter fines propriae Parochiae per Jura supra adducta: *Card. de Luca* de Parochis disc. 27. n. 2.; *Panimoll.* decis. 5. n. 1. et 5., *Rota* part. 11. recent. decis. 348. n. 9. et in his terminis *Passerin.* n. 325. cum sequent. et alii.

Si autem adesset consuetudo quadragenaria cum titulo, tunc deberet attendi, prout etiam quando Ecclesia Cathedralis teneatur solvere quartam funeralem Parocho alterius Ecclesiae, si ibi sepulturam quis elegerit, ut declaravit S. Congr. Concilii in Mantuana die 23. Julii 1694 et confirmavit die 30. Aprilis 1695. Et ita si sibi reservatum fuisset tale Jus in signum Superioritatis, quando Parochiae fuerunt distinctae seu creatae: Sic *Card. Petra* loc. cit. n. 41., *Panimoll.* decis. 5. adnotat. 4. n. 8. et seq., *Barbosa* lib. 3. Jur. Eccles. cap. 24. n. 16., *Cavaler.* decis. 649. n. 2. et decis. 295. n. 3. coram *Bichio*. Immo sufficeret etiam consuetudo immemorabilis sine titulo, cum ista quemcumque titulum praesumere faciat.

Clerici Beneficiati cum onere residentendi, tam simplices quam Curati, decedentes sine electione sepulturae et carentes sepulchro majorum, sepeliri debent in Ecclesia sui beneficii et residentiae et non in propria Parochia: *Barbosa* in cap.: *Nos instituta* 1. n. 4. de sepulturis, *Pirhing* lib. 3. Decretal. tit. 28. n. 9., *Sannig.* ibid. n. 8., *Vallensis* ibid. n. 6., *Reiffenstuel.* ibid. n. 24., *Fusch.* lit. P. conclus. 99. n. 5., *Bursat.* Consil. 226. n. 18. et 19., *Bellet.* disquisit. Cleric. part. 1. §. 3. n. 9., 10., 11. et 20., *Joan. Asin.* in l. Familiaria, ff. de rel. et sumpt. Funer., *Murga* et *communis* aliorum teste *Reiffenstuel* loco cit., arg. cap.: *Nos instituta* 1. de sepult. ibi: „In qua coelesti pabulo refici consueverunt, ut juxta apostolum sint consolationum socii, ubi fuerunt passionum,“ cap.: *De his* 5. eod. ibi: „A quibus receperunt salutis pabula,“ et cap.: *Cum quis* 2. eod. in 6. ibi: In qua ille officia consuevit audire divina et ecclesiastica recipere Sacramenta.“ Ubi, ut vides, statuitur, decedentes sine electione sepulturae et

carentes sepulchro majorum sepeliendos esse in Ecclesia, in qua consueverunt audire officia divina et ecclesiastica recipere Sacramenta: Atqui Clerici beneficiati cum onere residendi ibi divina audiunt et Sacramenta percipiunt; immo etiam divina faciunt et Sacramenta ministrant, ubi beneficium habentes servitium cum residentia praestant, ergo etc. Et ratio est, quia Clerici beneficiati cum onere residendi sunt potius Parochiani Ecclesiarum suorum respective beneficiorum quam suorum domiciliorum, quia alias non in illis sed in istis Sacramenta percipere et divina audire statutis a Jure temporibus deberent, arg. cap.: *Omnis utriusque sexus* 12. de Poenitent. et remissionib., ubi statuitur, quod „Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti et injunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum;“ adeoque cum Clericis beneficiatis cum onere residendi, non Parochus domicilii sed Parochus beneficii residentialis divina administret, potius iste quam ille censendus est eorum proprius Parochus cum jure eos sepeliendi. Nec valet objicere, quod Clericis Beneficiatis viaticum et extremam unctionem administret Parochus domicilii et non Parochus beneficii, adeoque potius ille quam iste censendus est eorum proprius Parochus cum jure eos sepeliendi.

Non valet, inquam, quia, concesso antecedente, negatur consequentia, cum in ordine ad sepulturas sacri Canonis non attendant locum, ubi quis in extremis recipit Sacramenta, sed locum, ubi in vivis sanus Sacramenta recipere consuevit et patet ex cit. Jurib. n. anteced. et clare denotant

illi termini: *Consueverunt, consuevit, adeoque cum Clerici beneficiati in vivis et sani Sacramenta recipere consueverint in Ecclesiis suorum beneficiorum cum residentia et non in illis suorum respective domiciliorum, sunt tumulandi in illis, non obstante, quod in extremis ab istis receperunt viaticum et extremam unctionem, quia hoc non evenit, quasi ipsi sint eorum proprii Parochi sed quia proprii Parochi Ecclesiarum dictorum suorum beneficiorum fines et territorium Parochorum suorum respective domiciliorum intrare ibique ipsis invitis Sacramenta ministrare nequeunt, arg. cap.: Ecclesias 1. caus. 13., 9., 1., cap.: in Ecclesiis 1. de Capellis Monachor., cap.: Cum singula 32. de Praebend. in 6. cum similibus. Et de facto si quis recreationis vel negotii causa in Villam extra suam Parochiam sitam se conferat et ibi moriatur, non ibidem sed, si non habeat sepulchrum majorum nec sibi elegerit sepulturam, in propria Parochia sepeliri debet, non obstante, quod in aliena viaticum et extremam unctionem receperit, text. expresso in cap.: Is qui 3. de sepulturis in 6.*

Clerici non sepeliantur in sepulchro suorum majorum, ubi est consuetudo eosdem sepeliendi in sepulchris separatis a laicalibus. S. Congr. Episc. et Regul. 13. Maii 1610.

Clericus, qui sibi non electa sepultura decedit, sepeliri debet in sepulchro majorum et non Clericorum.

S. Rituum Congr. 6. Maii 1705 in Senogall.

Fulginaten.

Frequentissima ab anno 1648 ad hodiernam usque diem exarserunt lites inter Canonicos Cathedralis et Parochialis Ecclesiae civitatis Fulginei et Parochos aliarum Ecclesiarum ejusdem civitatis super tumulatione cadaverum

Ecclesiasticorum ac super traditione cerae et emolumentorum funeralium, contendente Capitulo, jus sibi esse tumulandi in propria Ecclesia omnes Presbyteros et Clericos, qui non electa sepultura decederent, vel quartam funerum partem percipiendi, si alibi sepulchrum elegissent.

Mota primum hac de re fuit quaestio eodem anno 1648 occasione obitus Sacerdotis Antonii Juliani, qui sepulturam elegerat in Parochia sui domicilii, nempe Ecclesia s. Francisci; tunc enim, cum Capitulo Cathedralis denegata fuisset quarta funeralis, Vicarius generalis vivus *testium depositionibus hinc inde examinerum* pronuntiavit, *quartam cerae Funeralis delendam esse dd. Patribus Quardiano et Fratibus s. Francisci.* Interposita appellatione, juxta illorum temporum morem ad praesidem Perusiae causa delata est ad Vicegubernatorem Fulginei, qui praevio formali examine quinque testium *super quadragenaria ac immemorabili consuetudine* die 17. Augusti anno 1649 sententiam protulit favore Ecclesiae Cathedralis jussitque, *servandam esse antedictam quadragenariam ac immemorabilem consuetudinem ad favorem dictae Ecclesiae Cathedralis*, eidemque quartam funeris ejusdem Sacerdotis consignari mandavit. Provocatum hinc fuit ad Tribunal A. C., a quo, novo praemisso formali testium examine, die 31. Augusti 1652 relaxatum fuit mandatum *de manutenendo in praedicta possessione humani in praedicta Cathedrali Ecclesiae Fulginaten. omnia corpora Presbyterorum, qui alibi sepulturam non elegerint, et recipiendi quartas funerum illorum, qui sepulturam alibi elegerunt*, quod quidem Episcopus Fulginaten. Montecatinus in actu visitationis habitae die 21. Augusti 1653 exequi praecepit.

Nonnullos post annos Parochi omnes Fulginatenses ad hanc S. Congregationem confugerunt, quae audito de more Episcopo Pallotta propositisque duobus dubiis super jure Capituli Cathedralis die 10. Julii 1694 rescripsit: *Ad Judices suos.* Novis iterum excitatis contentione a Priore et Parocho Ecclesiae Collegiatae s. Mariae Capitulum Monitorium anno 1707 expedit super executione Judicati alias ab A. C. editi et quamvis Patres deinde quieverint, nihilominus eadem postea promotae quaestione Curia episcopalis anno 1727 decrevit, Ecclesiam Cathedralis ejusque Capitulum manutenendum fore et esse in possessione et mandatum de manutenendo contra quoscunque Ecclesiam super praemissis perturbantes relaxavit.

Similis tandem controversia exarsit occasione funeris Francisci Maria Genga Clerici conjugati ac simul Medici in civitate Fulginei, qui praevia sepulturae electione conditus fuerat in Ecclesia s. Augustini. Cum enim Prior Curatus Ecclesiae s. Marcelli, cui defunctus subjectus erat, quartam funeralem sibi vindicasset, Ecclesia Cathedralis quaerelam detulit turbati sui juris ad Tribunal Episcopi, coram quo die 7. Januarii 1767 Prior vocatus fuit in judicium. Interim vero tum Prior tum alii civitatis Parochi recursum habuerunt ad S. Congregationem, a qua cum declaratum fuisset, hujusmodi recursum impedire minime posse prosecutionem et terminationem causae pendentis in Curia episcopali, hinc Vicarius generalis resumpta causae cognitione die 27. Aprilis 1767 sententiam protulit favore Cathedralis Ecclesiae: sed postea ad omnes omnino contentiones imposterum praecidendas quatuor subscripta fuerunt dubia, in quibus singula controversiae capita exhibentur.